

# AMPLISSIMO PRVDENTISSIMOQVE MEDICORVM PARISIENSIVM ORDINI, ET COLLEGIO.

*INter aues præpetes Ciconia glotterans, triplici potiſſimùm memorabili commendatur nota: tùm quod annua ſoli mutatione Europa, ob receſſum ſolis ad calidiora Africæ decedat, eodem reduce Europam repetat: tùm quod venenatis vaſta et infeſta animalibus loca, iiſdem aut deuoratis aut interfectis perpurget: denique quod parentes ſeniculos, nec volatui, nec cibis venandis aptos, alis ſublatos recipiat, & alimento allato reficiat. Veſtrum* (viri Apollinares) *Collegium ampliſſimum, eruditiſſimum, prudentiſſimumque, trina præſertim ſpectabili dilaudatur virtute. Vos enim quotidiano mentis ad alta volatu, non tantum aſſidua Hippocratis, & Galeni meditatione Europam incolitis: ſed in ipſam delati Arabiam, quidquid Auerroes, quidquid Auicenna fœliciter protulit, demetitis. Vos vt Muſagetæ et* Gallici Hercules, *circunforaneorũ, & Empiricorum monſtris errorũ, velut Augiæ ſtabulum* Galliam *perpurgatis. Vos denique naturæ optimæ parẽti iam ſeneſcenti, vos ciuibus, vos toti patriæ ſalutaribus medicaminum auxiliis vitam prorogatis, conſeruatis, tutamini.* Hoc *vnum eſt, quod proprio vobis trium* Ciconiarum *emblemate, quiſquis is primus fuerit, poſteritati ſignificatum eſſe voluit. Ego verò inter Baccalaureos veſtros nuper adſcriptus, cum veſtris, & veſtrarũ Ciconiarum veſtigiis hactenus inſiſtere ſtuduerim, primùm poſt neceſſarias ( diuini ſenis monitu) Philoſophiæ, Chirurgiæ, & Pharmaciæ literas, ad altiorem medicinæ acropolim Pariſios, relicta patria, conuolaui: mentem ab alieno ſiniſtroque famulantium* Iatricæ *vſu tanquam à noxia fera liberaui; denique vobis parentibus optimis* ἀντιπελαργῶν *non tantum hos veſtro in horto natos, auctos, & delibatos ſolemnium* T*heſium fructus, ſed & me ipſum lubens meritò perpetuum dicare et conſecrare volui.*

Veſter

Veſtri ampliſſimi nominis ſtudioſiſſimus FRANCISCVS DES FRANÇOIS.

# QVÆSTIO MEDICA

## CARDINALITIIS MANE AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. MAII. MAGISTRO MICHAELE DE LA VIGNE DOCTORE MEDICO MODERATORE.



*An Arthritis vere grauior?*

INTER articulorum affectus, quales sunt paragoge, luxatio, παρέθρημα, colligatio, porosis in senibus ἀνίατος, rheumatismus, distensio commissurarum insignis est arthritis morbus σύντροφος, sine Baccho & Venere nasci potens, quæ sibi nomen id κατ' ἐξοχὴν adoptauit, symptomatum omni Medici cura & labore mulcendorum vehementiâ, humoris contumaciâ, cruditate & lentore, eiusque in cauo articulorum synathrismo. Quo sua sede rarò dissiliunt articuli, distorquentur & incuruescunt. Hîc nunquam ἀναισθησία, semper δυσκινησία, vt in paralysi partis ἀκινησία & ἀναισθησία in apoplexiâ, sensus ac motus in toto orbatio reperitur. Arthritis causas habet perpetuas & indiuiduas articulorum imbecillitatem natiuam vel adscititiam, & humorem quemuis superfluum, qui à capite nonnunquam prodiens & secundùm membranas neruósque excurrens articulorum sinum ambit & subit, sæpius per venas arteriasque non minus vitiosi succi quã boni capaces in infirmos articulos qualitate molestus & copiâ vi expultricis typicè deponitur: vt Arthritis verè nihil sit aliud quàm articulorum inflammatio ἔμμονος ac dolorifica, quam fluxio periodica in eos decumbens excitauit. Hanc adeo feram dirámque belluam nostro aut Hippocratis æuo nemo puer πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ expertus est.

DIFFERENTIÆ Arthritidis ex causarum disponentium, efficientium, & materialium varietate minimè pendent, quæ sola duntaxat inter se magnitudine differunt: sed articulorũ numero, quorum frequentiùs laborantium ratione, tribus tantum vsu nomen inditum est: Chiragra scriptitantibus familiaris, Podagra eunuchis & mulieribus non parcens, Ischias crebrò equitantium & salaciorum crux; quæcunque in alijs figitur articulis, Arthritidis nomine continetur, in quibus suam habet ὕπαρξιν: sic tamen vt humor guttatim sensimque illabens non in ligamentis communibus subsistat, sed articulorum cauitates penetret ac repleat; tum vincula & membranas quæ ossium extrema forinsecus nectunt & vestiunt; tandem fluxionis impetu ἀδιαλείπτῳ tendines & neruos dolorificè quidem, sed citra phlegmonem aut conuulsionem distendat. Ischias omnium acerbissima non tantum coxendicem excruciat, sed in femur, suram & extremum pedem exporrigitur, quocumque nimirum neruus aut musculus latus pertingit: & (quod mirum) præ cæteris lethalem tabem accersit, putredine, ab humoris indomiti cacoethia, sæuitia & labe, articulo inducta, & visceribus communicata, à quibus aut toto corpore fæda isthæc illuuies in affectam partem periodicè dimanarat.

PERIODVS morborum quo tempore frequentior, eo sæuior, ab excrementis pendet tertiæ coctionis, rariùs secundæ, quæ calor vberior moueat. Illa verò coaceruantur in partibus ortu vel improba victus ratione imbecillis, quę alimentum quantumuis laudabile, semper tamen dissimile conficere nequeunt: hinc superfluorum prouẽtus ineuitabilis partibus eò infensior quo infirmiores extiterint, & succorum nunquam innocenter exuperantium cõmotio maior. Pancreas hydropis δυσδιαγνώστου & curatu facilis quandoque origo, mesenteriũ Medicorum nutrix, pulmo tussiculosorum affectuũ sedes, lien hepar spuriũ, vomitus sãguinei vix κρισίμου αὐτουργός glandulę omnes corporis vniuersi sentina, sua laxitate; cutis situ, articuli laboris amantes temperie præsertim partes sunt inualidæ, his superfluis cumulandis aut excipiendis accommodatissimæ: imò natura ita comparatum est, vt humorum dysenteriam, nephriticum & colicum dolorem committentium metastases in artus fœliciter fiant. Quod si collectus humor foras pellatur nullo superante foco, cessat periodus, aliàs pro humorum, partium, anni tempestatum varietate, modò atrociùs, modo remissiùs incurret, vel citra dolorem, vt in vertigine, hęmorrhagia quauis, asthmate μὴ πνιγώδει melancholia, mania, epilepsia, apoplexia: vel cum dolore, vt in omni cephalalgia, pleuritide, arthritide.

REDITVS tempestatum à sole est, prout variè ad nos accedit, vel recedit: hæ inter se vt qualitatũ & durationis, sic effectuũ differentia dissidentes. Æstas ignea & torrida spiritus inflammat, humidi primigenij substantiam exsoluit, humores proinde & mores feroces & insolentes facit, bilem auget & exacuit: hinc morbi calidi frigidis acutiores, solutu licet faciliores, tenui victu indigentes. Autumnus frigidus siccus melancholicum succum parit, quartanæ, nigris vrinis aut deiectionibus, & hæmorrhoidibus iudicandæ, obstructionũ contumacium causa frequentior, æstati succedens adustam bilẽ vario incertóque modo exagitans furorem, ecstasim profert ἐρωτομανίαν, hypochondriacum pathos, lycanthropiam, Elephantiasim (cui curandę remedium hydragyrus, vt præcauendæ phlebotomia & euiratio, in qua nullus caluitij metus. Hyems frigida & ἔνυδρος corpora superuacaneo humore imbuit, pituitosæ crudæque materiæ prouentum gignit, distillationes crebras mites aut ferinas, febres longas inuehit, cachexiam, lethargum, putrida vlcera, œdemata, morborum denique cibi abstinentiâ curandorum fœturam. Ver licet omnium temperatissimum, & saluberrimum suos quoque habet morbos à sanguine & pituita, qui minus sunt lethales.

VERVM non tantum proprios sibi ac peculiares, sed & aliorum temporum germanos & congeneres aut inducit aut nudat. Si quidem vere furores, atræbiles, grauedines, tusses, frequentiùs autem impetigines, pustulæ vlcerosæ, tubercula, arthritides. Quid ita? per hybernum frigus densata cuti impedita transpiratione, pigro & segni corpore, sita in profundo vasa multum sanguinis & vtriusque potissimum pituitæ congerunt: vnde humorum metuenda sarcina & caloris natiui semper diffluentis suffocatio immineret, nisi is cæli vernantis blando tepore adiutus, & quasi suscitatus delitescentem materiam, aduersa inæqualitate catullientes humores & tum orgasmo concitatos, ab internis, robustis, primariis locis modò in cutem, idoneum ac sufficiens exhauriendo malo receptaculum, modò in glandulas viscerum βλαστήματα, modò in articulos magno partium & naturæ leuamento, diuersimode expurgaret. Hinc sæpius & facilius, turgente abdominis & corporis vniuersi cacochymicâ multitudine, sæuam ægris tyrannidem arthritis exercet, maximè vernâ constitutione, in qua venæ sectio quouis morbi tempore, vt cathartici genus omne quauis anni quadra, petitâ à morbo & causa indicatione ritè imperatur. Ea tempestate magnam subesse intus humoris illuuiem, acerbiores crudelioresque paroxysmos ingruere, totiesque afflictos homines magis de vita periclitari qui non sentit, nihil sentit.

*Ergo Arthritis vere grauior.*



Proponebat Lutetiæ Parisiorum FRANCISCVS DES-FRANCOIS Velaunus, Anno M. DC. XXI.